

canus esset (Superintendens hodie vocatur) & Pastor, biennio post, A. 1612., Schleusingam reversus, Superintendens constitutus est, Pastor, Ephorus, &, quod axioma primo ponendum erat loco, Ill. Consistorii Saxo-Hennebergici Assessor. Senectute tandem imbecillior, &, quod oculi, in tot libros, literas & Codices Graecos, per omnem vitam intentissimi, suum porro facere detrectarent officium, munere Superintendentis A. 1632. se abdicavit, dato Vice-Superintendente & Ephoro Gymnasii, Samuele Zehnero, mox recensendo, & diem vitae supremum ipsis Calendis Ianuariis A. 1634. Schleusingae egit; ex Catharina, filia Marci Hartmanni, Consistorio Hennebergico a Secretis & Sacri Aerarii Praefecti, quam ConRector Meiningae postridie Calend. Apr. A. 1600. matrimonio sibi junxerat, post se non relicta prole.

*Vidd. Historiae meae Scholasticae Pars I. p. 121. seqq., ubi nimirum Vitam & Scripta Seberi plenius exhibui, & Libri Memorialis in Alumnorum Schleus. vitas Recensio IX. p. 122.*

*Praeter Conciones complures, in Historia Scholastica maximam partem allatas pariter, a Sebero prodierunt:*

1. *Carmen in Natalem Domini Salvatoris nostri Iesu Christi, Lips. A. 1596. 4.*
2. *Carmen de Iona, Propbeta, Lips. A. 1596. 8.*
3. *Parentatio, ILL. Principis, DN. FRID. VVILHELMII, Duc. Sax. &c. Vinariae A. 1602. defuncti, Manibus dicta, Smalcald. A. 1602. 4.*
4. *Theognidis sententiae, certis titulis distinctae, cum Indice duplici, Lips. A. 1603. & A. 1620. 8.*

5. *Py-*